



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. Quidditas, existentia, & diuisio demonstrationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

maiori copulativa, & minori disjunctiva: v. g. non valet, Petrus, vel Ioannes interfecit Antonium: hic homo est Petrus vel Ioannes: ergo hic homo interfecit Antonium. Quia copula, Et, nec, &c. æquivalet voci, Omnis: vel, autem æquivalet voci, Aliquis.

Syllogismus exponibilis quid sit. Dico quartò, Syllogismus exponibilis vocatur is, qui constat ex propositionibus exclusivis, exceptivis, vel reduplicativis. De hoc vera sunt hæc axiomata.

Primum: Particula, tantum, non facit propositionem universalem, nisi addita habet signum universale, Omnis: v. g. Tantum homo est albus; non est idem ac, Tantum omnis homo est albus. Idem non valet hic syllogismi: Tantum animal est homo: equus est animal: ergo equus est homo. Neque hic: Tantum substantia non est creatura: omnis homo est substantia: ergo nullus homo est creatura. Medium enim in illis non distribuitur adequatè.

Secundum. Secundum est: Propositio affirmativa exclusiva æquivalet duabus, quarum una est affirmativa, & altera negativa. V. g. cum dicis, Tantum risibilis est homo; significas, quod homo est risibilis, & nullum aliud risibile; idem non valet hic syllogismus: Omnis homo est animal: tantum risibile est homo: ergo tantum risibile est animal. Quia animal in conclusione negativa distribuitur, cum tamen non fuerit distributum in maiori affirmativa.

Tertium. Tertium est: In syllogismo exceptivis, terminus exceptus debet poni etiam in minori, alioqui sunt quatuor termini; idem non valet hic syllogismus: Omne animal præter hominem est irrationale: omnis homo est animal: ergo omnis homo præter hominem est irrationalis. Ob eandem causam in reduplicativis terminus reduplicatus poni debet in conclusione; idem istud non valet: Omne animal in quantum muscum cantat: omnis homo est animal: ergo omnis homo cantat.

Syllogismus ex obliquis quid sit. Dico quintò, Syllogismus ex obliquis dicitur, cum aliquis terminus illius ponitur in casu obliquo. De quo hæc accipe axiomata.

Primum pro obliquo axioma. Primum est: Cum medium est obliquum in aliqua præmissa, extremum, quod illi iungebatur, debet esse rectum in conclusione, & alterum extremum debet esse obliquum, ut: Omnis entis est scientia: omne corpus est ens: ergo omnis corporis est scientia.

Secundum. Secundum. Quando medium est obliquum in utraque præmissa, utrumque extremum conclusionis est in recto, ut: Nulla virtus inest heretico, avaritia inest heretico: ergo avaritia non est virtus.

Tertium. Tertium. Terminus, qui fuit obliquus in præmissis, sit etiam obliquus in conclusione, ut: Omnis creatura est Dei: omnis homo est creatura: ergo omnis homo est Dei. Supererant syllogismi modales, quos inutile propemodum esset exponere; cum ex dictis tum hic, tum in Pharo nulla circa eos possit superesse difficultas.

Altera divisio syllogismi. Altera est divisio syllogismi communissima, in scientificum, dialecticum, siue probabilem, spendagraphum, & sophisticum; circa quos nihil exponendum superest præter demonstrationem, quæ primaria, & nobilissima pars est totius Dialecticæ.

A

DISPUTATIO V.

De syllogismo scientifico. Ad posteriores Analyticos.

B DEMONSTRATIO non totale quidam, sed primum Logicæ obiectum est, & obiectum, ut vocant, attributionis: sed librorum, quos Aristoteles inscribit Posteriores Analyticos, est obiectum adequatum; in iis enim totam demonstrationem, & resolutionem syllogismi secundum materiam ingeniosè prosequitur, in qua etiam totius Logicæ nostræ sit clausula.

QVÆSTIO VNICA.

De natura, & partibus demonstrationis.

C M Vltà complector hoc titulo, quæ ad capita Divisio sex referri possunt; primò enim continet quæstionis existentiam, quidditatem, & divisionem demonstrationis, ac scientiæ. Secundò præcognitiones ad scientiam requisitas. Tertio proprium subiectum demonstrationis ac scientiæ. Quarto medium terminum. Quintò præmissas demonstrationis, tum in genere, tum propter quid. Sextò regressum à demonstratione quia, ad demonstrationem propter quid.

SECTIO I.

Quidditas, existentia, & divisio demonstrationis.

D CERTUM est primò, demonstrationem definiti, syllogismum, qui facit scire, id est syllogismum, per quem formaliter habemus scientiam actualem: unde altera demonstrationis definitio est, syllogismus constans ex veris, necessariis, & notioribus conclusionibus: quæ conditiones inferius explicandæ erunt.

Certum est secundò, scientiam universè ita de Scientia finiri, Est cognitio rei certa, & evidens per medium quid sit. necessario connexum. Scientia verò maxime propria, siue à priori, ita definitur, Est cognitio certa & evidens rei per causam necessariam, v. causa est. Quæ definitio quatuor inuoluit condiciones ad scientiam necessarias. Prima est, ut scientia sit certa: secunda ut sit evidens: tertia ut discursu comparetur: quarta ut constet ex præmissis necessariis, & continentibus causam conclusionis: quas condiciones in tractatu de scientia tractabimus.

Certum est tertio, scientiam aliam esse actualem, aliam habitualement. Actualis illa est, quam definitivimus: habitualis est qualitas permanens inclinans intellectum ad cognitionem rei certam, & evidentem. De sola scientia actuali nobis hic sermo est, de qua

Certum est quarto, scientiam actualem essentialiter, & in recto esse solam conclusionem formalem; præmissas autem demonstrationis in obliquo & conno

connotatiue, sicut supra diximus syllogismum in recto non esse nisi conclusionem formalem; præmissas autem essentielles esse syllogismo connotatiue tantum, & in obliquo. Ratio est, quia in ea cognitione est tota scientia, in qua cognoscitur totum, quod dicitur sciri: sed in sola conclusione formali, ut connotat præmissas, cognoscitur totum id, quod dicitur sciri: ergo in ea est tota scientia actualis. Minor videtur certa, quia sola connexio prædicati, & subiecti sciri dicitur. Maior probatur, quia scientia est cognitio certa & euidens rei, quæ dicitur sciri: ergo in eo est tota scientia, in quo est cognitio tota rei, quæ sciri dicitur.

Obiectio 1.
& eius solutio.

Neque dicas primò. Scientia non est nuda cognitio connexionis prædicati, & subiecti; sed est cognitio illius per medium necessarium: sed hoc includit non solum conclusionem, sed etiam præmissas: ergo non sola conclusio est scientia, sed etiam præmissæ. Concedo maiorem, distinguo minorem: includit præmissas & conclusionem in recto, & explicitè, nego; in obliquo, & confusè præmissas, conclusionem autem in recto, & explicitè, concedo. Scientia ergo si sumatur secundum ea, quæ pertinent tum in recto, tum in obliquo, includit tum præmissas, tum conclusionem; si autem tantum secundum ea, quæ includit formaliter, posita est in sola conclusione formali.

Obiectio 2.
eiusque solutio.

Neque dicas secundò. Eadem cognitione cognoscitur obiectum materiale, & formale: sed præmissæ sunt obiectum formale scientiæ, & motuum assensus scientifici: ergo per eandem scientiam cognoscitur conclusio, & præmissæ. Distinguenda enim est minor: præmissæ sunt obiectum formale scientiæ, prout antecedunt conclusionem, nego; prout sunt in conclusione, concedo. His ita constitutis circa naturam scientiæ, & demonstrationis, controuersum esse potest duntaxat,

S. I.

Verum scientiæ sint reminiscentiæ.

Conclusio
negatiua.

Primò. Scientiæ non sunt reminiscentiæ solum, sed certè acquiruntur de nouo. Contra Platonem, qui volebat nos nihil de nouo scire, sed solum reminisci, eo quod in prima creatione habitus omnium scientiarum insuli essent animæ; qui tamen materiæ velut immergi, nihil in summa illa caligine suæ lucis emitterent, donec assidua contemplatione detergi paulatim effoderentur, & quasi amoris repagulis iterum animo redderentur. Ita ille in *Manone*, & 10. de *Rep.* Cui adhærere Platonici omnes, Iamblicus, Plotinus, Alcinous, quæ de re fusè agit Ioannes Crisostomus *lib. quinto & sexto distributionis*, contra Platonem; & Mirandalanus *lib. 11. Euerfionis*, & pulcherrimè Guill. Parisiensis *lib. de vitiis*.

Fundamentum erroris
Platonici.

Fundamentum autem huius erroris Platonici fuit, quod putaret animam longè ante corpora fieri intra ipsas stellas, ubi currum haberet alatum, quo sublimis insideret, & per totum mundum vagaretur. Cum verò ei alæ defluiscent, eam cadere in terram & ostreacum corpus (quod etiam vocabatur *obliuionem*) imbuere, ubi omnium obliuisceretur. Quid autem significaret illud vehiculum, quid equi, quid auriga, longum esset dicere. Quem errorem sequutus Origenes, Priscillianistæ, & Hæretici Flagellantes damnati sunt in V. & VI. Synodo, & in Concilio Bracarenfi I. *canone 6.* & à Leone Magno *epistola ad Iulianum Coensem Episcopum*, & *epistola ad Thuribium Asturicensem*.

sim, & ab omnibus Patribus, inter quos egregiè Theodoretus in *epitome diuinarum decretorum*, & Methodius Olympi Episcopus. Alas tamen illas amissas, quas volebat esse instinctum geminum ad verum per mentem, & ad bonum per voluntatem, solas aiebat renasci Philosophis, dum inductione quadam recordantur eorum, quæ in altera vita viderint, iuuante pulchritudine, quæ per oculos influens animum iam gestientem ad Deum ipsum reducat erumpentibus per totam animam peninis, ut ait in *Phædro*, & iterum repetit in *Manone*, ubi tandem ait, reminisci nihil aliud esse, quàm in seipso scientiam recolere, atque retractando asumere. Cui errori ferè adhæsit Augustinus *lib. secundo soliloquiorum, cap. secundo*, sed retractauit *lib. 12. de Trinitate, cap. 5. & lib. secundo retractationum*. Contra quem errorem

Rationes sunt primò, quia si omnis scientia esset reminiscencia, nihil vnquam disceremus, quin cogitarem nos hoc olim sciuisse: sed hoc est falsum, & contra experientiam: ergo scientiæ non sunt reminiscentiæ. Maior clara est; cum enim recordamur rei alicuius, cognoscimus nos illam olim sciuisse.

Secundò: si anima poculo illo lethæo potata, & quasi inebriata, omnium obliuionem patitur, quomodo scit Plato se hoc olim sciuisse.

Tertiò: si corpus non potest impedire animam diuinantem: ergo neque reminiscentem.

Quartò: corpus organo simile est, anima verò artificii: sed organum, siue instrumentum non impedit artificem: ergo corpus non impedit animam, ut bene argumentantur Irenæus *lib. secundo, cap. 59.* Iustinus in *dialogo*, Tertull. *lib. de anima, cap. 33. & 34.*

Obicit Plato duo. Primum est: Ille qui conatur sibi comparare rei alicuius scientiam, vel scit quod quærit, vel nescit. Si scit: ergo de nouo non discit. Si nescit: ergo non potest velle quærere; voluntas enim supponit noticiam, nec potest inuenire; licet enim occurrat id, quod quærit, non tamen agnoscit: sicut hominem ignotum qui de facie quæreret, non tamen illum inueniret. Secundum est, quia si puer interrogetur, paulatim de principiis mathematicis respondebit ea, quæ tradi solent in scholis, sed dum discit, solum reminiscitur.

Respondeo ad primum cum Aristotele, illum qui quærit scire aliquid, non scire formaliter id, quod quærit, sed virtualiter tantum, & confusè per præmissas tanquam per antecedentem cognitionem; vnde negatur illum frustra quærere. Ad exemplum de eo, qui quærit ignotum hominem, nego paritatem, non enim virtualiter illum cognoscit, nec habet aliquid, quo ducatur in eius cognitionem, cum tamen ille, qui vult scire aliquid, habeat præmissas, quibus infallibiliter ducatur ad cognitionem formalem. Ad secundum respondeo, puerum ita interrogatum non respondere propter reminiscentiam, sed propter euidenciam illorum principiorum, quæ nemo possit negare; atque adde Socratem obstetricantem (ut ipse de se ait) non philosophantem omittamus cum suis fasciis, & crepundiis, quibus non animos erudit, sed pueriliter eludit. Addi poterat hîc, an habitus primorum principiorum sint in nobis à natura; sed commodius ea de re dicitur in tractatu de habitibus. Nunc explicata scientiæ actualis essentia, venio ad eius existentiam.

S. II.

Disp. V. Quæst. vnic. de Demonstratione. 77

§. II.

Utrum detur vera scientia, & demonstratio.

Conclusio
affirmativa
bipartita.

Dico secundò. Multarum rerum datur vera, & perfecta scientia, omnium tamen rerum scientiam nec habuit quisquam, nec habere potest, saltem naturæ viribus. Ita Aristoteles *cap. tertio, hic*, & eruditissimè Augustinus *lib. scribis contra Academicos*, Sextus Empiricus Plutarchi nepos *lib. tertio, Pyrroniarum hypotyposon*, Valesius *Sacra Philosophia cap. 54. Comimb. in proleg. Physica*, & Fonteca *in proleg. Metaph.*

Exstimant ergo Academici, tum veteres, authoribus Socrate, & Platone; tum noui, autore Arsepila, & Pyrrone; unde Pyrronij & Sceptici, id est Consideratores; existimant, inquam, nihil esse comprehensibile, incerta esse omnia, & quæ percipi nullo modo possent; veritatem nobis esse ut Protheum, quam obtinere nemo possit, falsis semper delusus imaginibus: latere illam in puteo (asserbat Democritus) cuius putei nullus fundus esset: mutari omnia perpetuò (aciebat Heraclitus) nec de vlla re bis idem affirmari posse, sicut nemo bis in eundem fluuium mergi potest tangens eandem aquam. Omnibus igitur illis placebat illa ἀναδελυσία, de qua tam multa Tullius *in qq. Academicis*; quam etiam amplexi sunt plures è nostro sæculo Athei, quos verè Neministas, & nullius non tantum scientiæ, sed etiam ingenij dixeris. Impugnat eos egregie Garassus *in Summa*.

Ratio primæ
partis.

Ratio autem primæ partis est, quia dantur multæ cognitiones certæ, ac euidentēs, in quibus dubitare nullus potest: ergo datur scientia. Antecedens, quamuis sit manifestum, probatur tamen primò rationibus Sancti Augustini, quarum prima est: Videturne sapiens scire sapientiam? Si non videtur: ergo non est sapiens; si videtur: ergo non videtur tibi nescire sapientiam. Secunda petitur à propositionibus disiunctis: Scio me sedere, vel non sedere; mundum esse, vel non esse: esse vnum, vel plures. Tertia petitur à demonstrationibus dialecticis, quas ita certas esse ait, ut ideo Logica sit scientia veritatis.

Ratio secundæ.

Secundò sunt aliqui effectus & proprietates non excedentes virtutem intellectuum, necessariò connexæ cum suis causis, & subiectis; ut solem illuminare: ergo illa possunt cognosci necessariò connexæ, id est cognosci scientificè.

Tertia.

Tertiò: Omnis cognitio acquiritur per sensum; nam axiomata quædam lumine naturali sunt nota, ut: *Totum est maius sua parte*: sed illæ cognitiones sunt certæ, & euidentēs: ergo, &c.

Quarta.

Quartò. Idem probat appetitus naturalis scientiæ, quem à natura homini esse datum pulchrè tradit Aristoteles ipso initio *Metaph.* Nam hic appetitus naturalis frustra esset, si nihil posset sciri. Consequens est absurdum: ergo & antecedens.

Obiectio 1.

Neque dicas primò. Nulla est cognitio, quæ non oriatur à sensibus: sed sensus sæpe falluntur: ergo intellectus quoque fallitur, vel saltem dubitare possumus semper vtrum fallatur, sicque nihil certò scimus.

Responsio.

Resp. enim distinguendo maiorem: omnis cognitio oritur à sensibus, ita ut intellectus non corrigat sensum, nec transcendat id, quod sensus perceperit, nego maiorem; ita ut intellectus nihil cognoscat, cui primam quandam occasionem non dederit sensus, concedo. Quamuis ergo sensus sæpe fallatur, non sequitur etiam intellectum falli, quoties

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A fallitur sensus; quia errantem sensum ipse corrigit. Deinde minor etiam distingui potest: sed sensus falluntur, quando obiectum non est debitè applicatum, concedo; quando est debitè applicatum, nego.

Neque dicas secundò: multi putant se demonstrare aliquid, cum tamen non demonstrent, & eodem modo se gerunt, ac si demonstrationem haberent: ergo incertum est semper, vtrum demonstrationem habeamus.

Obiectio 2.

B Distinguo enim antecedens: multi putant se demonstrare licet non demonstrent, quando adest certitudo tantum ex parte subiecti, concedo; quando adest certitudo ex parte subiecti, & ex parte obiecti, nego. Quando enim adest huiusmodi certitudo, non tantum putamus nos demonstrare: sed etiam verè demonstrare. Quid sit illa veræ certitudo, dicam *sest. quinta*.

Responsio.

Neque dicas tertio. Omnes scientiæ ducunt initium ab inductione: sed illa non potest ingenerare scientiam: ergo nulla est scientia. Maior manifestæ est, & constabit ex sectione vltima. Minor probatur. Ut inductio pareret scientiam, deberet esse adæquata, ita ut nullum omitteret singulare: sed hoc est impossibile: ergo inductio non generat scientiam.

Obiectio
tertia.

C Resp. nego minorem; nam inductio verè potest esse principium scientiæ illius, quæ est à posteriori. Ad probationem autem nego minorem; nam ut inductio sit perfecta, non est opus, ut percurrantur omnia singularia, sed sufficit ut plurimum experientia conuincat rem ita esse, quod enim natura non in vno tantum, sed communiter in pluribus præstat, hoc in omnibus facit, alioqui deficeret à seipsa. Ut ergo experientia, & inductio scientifica sit, non est opus ut omnia singularia cognoscantur, v.g. ut sciam ignem esse caloris exigitum, non est opus, ut senserim omnes ignes.

Responsio.

Secunda pars conclusionis asserit, non posse naturaliter haberi omnium rerum scientiam, quia multi sunt effectus in natura ignotissimi; ut quod remora sistat naues, quod aqua ignem alicubi accendat, quod amantios lauetur flammis, quod magnetes ferrum trahat, quod stella polaris magnetem ad se conuertat. Sunt etiam multi effectus à sensibus remotissimi, ut ea, quæ sunt in terræ visceribus: ergo intellectus capere illos non potest; nihil enim est in intellectu, quod prius aliquo modo non fuerit in sensu. Deinde à priori, fallacia sensuum tanta sunt, ut difficile omnes caueantur errores. Adde alias errandi occasiones, quas vitare omninò excedit naturalem hominis facultatem. Postremò ingenij humani imbecillitas vitæ breuitati coniuncta non patitur omnium rerum scientias posse percipi.

Secunda
pars probatur.

D Obiicies. Appetitus naturalis non debet esse frustra: sed homo habet appetitum naturalem ad omnes scientias: ergo ille appetitus non debet esse frustra: esset autem frustra, si non posset illas adipisci.

Obiectio.

E Resp. nego minorem: nam ad omnes scientias habemus quidem appetitum elicitem, non habemus autem appetitum naturalem ad omnes scientias simul habendas; sed tantum ad habendas aliquas indeterminatè, sicut materia prima non habet appetitum ad omnes formas simul habendas, quia eas omnes habere non potest. Appetitus naturalis est non solum remota quædam capacitas habenda rei, quæ appeti dicitur; sed inclinatio quædam per modum potentia in rem tanquam in formam sibi debitam, aut saltem connaturalem. Ap-

Responsio.

petitus

G 3

petitus elicitus est actus desiderij elicitus à facultate appetitiva.

Obiici adhuc posset Salomon, qui creatas omnes scientias habuisse dicitur; sed si habuit, non naturæ viribus, sed per diuinæ gratiæ auxilium id assequutus est.

S. III.

Quotuplex sit demonstratio.

Aliæ plures scientiæ diuisiones afferri possunt, quas in speciali tractatu de scientia habituali persequemur. Nunc pro demonstratione, in qua ve sumus.

Demonstrationis diuissio.

Dico tertio. Bene diuiditur demonstratio adæquate in demonstrationem à priori, quæ vocatur *propter quid*; & à posteriori, quæ vocatur demonstratio *quia*. Demonstratio *propter quid*, illa vocatur, cuius medium terminus est causa prædicati conclusionis. Demonstratio verò *quia*, est illa, cuius medium non est causa, saltem immediata, prædicati conclusionis.

Ratio.

Ratio est, quia illa est vera demonstratio, quæ procedit ex medio necessariam habente connexionem, & notiori secundum nos: sed demonstratio *propter quid*, & demonstratio *quia*, sunt eiusmodi effectus enim habet necessariam connexionem cum causa, & notior nobis est quàm causa, quæ sæpe obscura est. Causa item necessariam habet connexionem cum effectû, & est notior secundum naturam: ergo, &c.

Quod autem illa diuissio sit adæquata, ratio est quia omne medium demonstrationis, vel est causa, & facit demonstrationem à priori; vel non est causa, & facit demonstrationem à posteriori.

Obiectio prima, & eius responsio.

Neque dicas primo. Ille syllogismus non est demonstratio, qui non procedit ex præmissis necessariis: sed demonstratio *quia*, non procedit ex præmissis necessariis; effectus enim, cuius ignoratur causa, non est medium necessarium: ergo demonstratio *quia*, non est demonstratio. Confirmatur, quia illæ demonstrationes non differunt specie; eadem enim conclusio potest demonstrari per causam, & effectum. Nego enim minorem, quia quamuis non cognoscatur causa talis effectus, experientia tamen, & sensibus potest nobis ille esse infallibiliter notus; atque ita potest esse medium veræ demonstrationis, prout cognitus sensu, & experientia.

Ad confirmationem nego illas demonstrationes non differre specie; nam eadem conclusio formalis non potest demonstrari per causam, & effectum, sed tantum eadem conclusio materialis.

Secunda, & eius solutio.

Neque dicas secundo, in hac demonstratione non contineri demonstrationem, quæ cognoscitur an sit, simul & propter quid sit; neque illam, quæ est à causa immediata non cognita ut causa; neque demonstrationem ab effectû ad effectum, siue à concomitanti, v.g. cum flexibile demonstratur per risibile, cuius nec est effectus, nec causa. Denique nec demonstrationem, quæ deducit ad impossibile.

Resp. enim illas omnes demonstrationes esse vel à priori, vel à posteriori; nam demonstratio à posteriori non illa est, cuius medium est verus effectus, sed cuius medium non est causa. Primum igitur demonstratio quæ cognoscitur an sit, & propter quid sit, est vera demonstratio à priori; procedit enim per causam. Secundò illa quæ est à causa non cognita ut causa, licet secundum se sit à priori, simpliciter tamen dicenda est à posteriori, quia respectu nostri perinde se habet causa non cognita

ut causa, ac si non esset causa. Tertio demonstratio à concomitanti est à posteriori, sicut demonstratio quæ ducit ad impossibile, si id, ex quo procedit argumentum, non sit causa; si autem id, ex quo procedit argumentum, sit causa, hæc demonstratio erit à priori, quamquam verius est, Aristotelem loquentum hoc loco non esse de demonstratione, quæ ducit ad impossibile, sed de illa tantum, quæ ostensua est.

Celeberrima enim est diuissio demonstrationis in eam, quæ ducit ad impossibile, & ostensiuam. Ostensiuam illa est, quæ propositionem aliquam demonstramus, per sua principia ipsam inferendo. Demonstratio ducens ad impossibile est cum propositionem aliquam veram esse probamus, ostendentes eius oppositam esse falsam, quod fit sumendo oppositum propositionis negatæ cum altera præmissa euidenter vera, unde inferatur conclusio falsa; ut si probandum mihi sit, nullum hominem esse irrationalem, sic dicam: *Omnis homo est irrationalis: omne animal rationale est homo: ergo omne rationale est irrationalis. Atqui nullum rationale est irrationale: ergo nullus homo est irrationalis.* Hactenus essentia, existentia, & diuissio demonstrationis.

Celeberrima demonstrationis diuissio.

SECTIO II.

Præcognitiones ad acquirendam scientiam necessaria.

Explicata demonstrationis existentia, & quiditate, sequitur ut explicemus modum, quo ab homine acquiritur; quod ut præstem,

Dico primo. Axioma illud Aristotelicum verissimum est: *Omnis disciplina discursiva, & omnis doctrina sit ex præexistente cognitione.* Cuius geminus sensus ille est. Omnis cognitio, quæ ratione, & discursu habetur, sit ex aliquo alio iudicio antecedenti; quod iudicium antecedens sunt vel præmissæ syllogismi, vel principia nota ex terminis, vel antecedens, ex quo inferitur aliquid consequens. Vnde colligis, omnem scientiam acquiri per aliquam præcognitionem, de qua

Axioma Arist. verum.

Dico secundo. Præcognitio est cognitio præcedens aliam tanquam causam, vel dispositio illius; nam tripliciter potest cognitio vna aliam antecedere. Primum ita ut præparet ad illam; sic cognitio sensitiua antecedit intellectiuam præparando viam intellectui, ut possit cognoscere. Secundò ita ut dirigat; sic cognitio prædicati, & subiecti antecedit enunciationem, & illam dirigit. Tertio ita ut illam causet, sicut præmissæ causant conclusionem, & cognitio earum vocatur propriè præcognitio, de qua hic loquimur.

Præcognitio quid sit.

Dico tertio. Quatuor sunt præcognitiones, quæ de re qualibet esse possunt: Quid nominis, An sit, Quid sit, Qualis sit.

Quatuor sunt præcognitiones.

Obserua, quinque de re qualibet sciri & queri posse. Primum est, quid nominis, id est, quid significet eius nomen. Secundò, an sit, id est, an sit res vera, an ficta; non enim queritur solum de existentia actuali, sed etiam de possibili. Tertio quid sit, id est, quam essentiam habeat, quanam eius natura sit, quanam definitio, partes essentielles, &c. Quarto, qualis sit, quanam sint eius proprietates, & attributa, quæ accidentia, &c. Quintò propter quid sit, quem finem habeat, à quo agente producta sit, &c. Illæ autem quæstiones sic se habent, ut præcedens respectu sequentis dicatur præcognitio; & sequens respectu præcedentis dicatur quæstio: atque ita *quid nominis*, nunquam est quæstio

Quinque de qualibet re sciri & queri possunt.